

## Die Urkunden Karls des Großen, 271

(C.) In nomine patris et filii et spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a deo coronatus magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Langobardorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem domini nostri Iesu Christi et reverentiam sanctorum cedimus vel condonamus, hoc ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri in dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus presentibus scilicet et futuris, qualiter donamus ad basilicam sancti Petri principis apostolorum <et sanctorum martirum Crispini et Crispiniani, quam nos construximus in loco Osnabrugki et corpora illorum illuc transtulimus, ubi praeest vir venerabilis Vuiho episcopus, omne regale vel seculare iudicium super suos servos et liddones et liberos malman et mundman et omnes utriusque sexus homines eidem aecclesiae pertinentes, quos modo possidet vel deinceps acquisierit, et perpetuam de regia potestate confirmamus absolutionem, ita ut nullus iudex publicus dux comes vel vicecomes vel scultatio sive missi dominici per tempora discurrentes loca illius episcopatus ad placita habenda vel freda exigenda et parafreda aut aliquem de prescriptis eidem aecclesiae pertinentem ad sua placita bannire vel ad mortem usque terrarum diiudicare vel aliquo modo ullo umquam tempore aggravare audeant; sed liceat praefato episcopo suisque successoribus et suo advocato res praedictae aecclesiae cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere, ordinare atque disponere.> Et ut haec auctoritas firmior habeatur ac diuturnis temporibus melius conservetur, manu propria subter eam roborare decrevimus et de anulo nostro sigillare iussimus.

Signum (M.) Caroli piissimi ac saerenissimi imperatoris.

(C.) Iacob advicem Radoni (SR.). (SI.).

Data XIIIII kl. ian. anno III Christo propitio imperii nostri et XXXVI regni nostri in Francia atque XXX in Italia, indictione XI; actum Aquis palacio publico; in dei nomine feliciter amen.